

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

apud nos exhibita. Agnosco certe ea non tanta, qualia te decuissent, & quæ animo parato & prompto, si quidem facultas mihi fuisset, libenter exhibuissem: Hoc tamen addo, vitam & vires meas, tuas, inque servitium tuum paratissimas. Gavisus sanè mihi fui supra modum, nec non Ecclesiæ Christi gratulatus, propter hanc oblatam gratissimam occasionem, videndi te, & tecum, Domino, amico & fratre veteri, de rebus privatis & publicis corām copiosius conferendi. Non minus gratum mihi fuit, ex tuis cognoscere, deflestante te, tam Ecclesiæ quam Scholæ nostræ rationes: & pio tuo voto etiam meum adjungo, oroque Deum, æternum patrem Domini & liberatoris nostri Jesu Christi, ut tuis & meis laboribus, quos sustinemus, clementer etiam deinceps benedicat.

Præfationem libri tui legam diligenter, & cogitationes meas (quemadmodum petis) consignatas, propediem liberè ad te mittam.

Reverendo Conventui tam Ecclesiastico quam Scholastico vestro, & in utroque clarissimis & Reverendis Viris, Dominis, amicis & in Christo fratribus dilectissimis, pro sancta & pia imprecatione, nec non pro amicissima & gratissima salute, ago ego una cum omnibus collegis meis, officiose & reverenter gratias: Meque & universum ministerium meum, Tibi, nec non omnibus & singulis Collegis tuis, ea, qua possum, fide & candore commendo maximè. Scripti heri ad D. Flinnerum, per tabellarium Augustanum, is meo nomine tecum conferet, propter liberorum meorum Pædagogum, adolescentem pium, mōrigerum, & ingeniosum: Te rogo ut hac in parte, si fieri potest, mei rationem habeas. Inter varia quæ tecum contuli, mihi hæc intercessio pro eodem excidit. Bene & feliciter vale, anima & corpore sanus & salvus, in Christo Jesu, communī salvatore nostro, cum privata & publica Ecclesia tua. Et costam tuam, matronam honestissimam, meo & uxoris meæ nomine plus millies saluta. Raptim post concionem meam, ipso die Evangelistæ Lucæ, Anno 71, Ulmæ.

R. D. T. studiosissimus

Lud. Rabus, D.

LXXXIX.

Salutem in Christo. Reverende & Clarissime Vir.

Quantum intellexi, tibi consignatio Colloquii nostri Laurentiani est exhibitas, quam cupio tibi satisfacere, cum propter Ecclesiam, tum etiam tuam perlonam.

nam. Et per Christum te oro, ut veritati cedas. Nullo enim praetextu tua opinio tegi apud eruditos potest, multò minus defendi. Nec habiturus es, crede mihi, ullum patronum. Optimi enim amici tui phrases tuas excusant, sed errore nonquam defendendum suscipiunt. Voluntatem enim, quæ non est qualitas in anima hominis, sed pars essentiae ejus substantialis, prorsus peremptam & abolitam esse, nemo hominum tibi concedit. Si vero de potentia loqueris, qua ex se potest velle bonum, omnes consentimus, hanc potentiam prorsus extinctam esse in rebus spiritualibus. Quare ut audias D. Marbachium & reliquos fratres, te per Christum Jesum oro & obtestor. Quod nisi feceris, te & in hac & futura vita paenitebit. Bene & feliciter vale. Ut admonitionem hanc, ex corde sincero & veritatis amante profectam, quæso non contemnas. Iterum vale. Raptim Eslinx, 25. Octobris, 1571.

Jacobus Andreæ

Inscriptio.

Reverendo, Clarissimo ac doctissimo Viro, D. Matthia Flacio
Illyrico, amico & fratri.

LXXIX.

S. De Pappi successu apud nos coram ex ipso cognoscet; curavimus, ut quantum fieri potuit, citissime expediretur, quo posset maturius vobis restituiri. Interim gratissima fuit mihi ejus conversatio, ob singularem modestiam, sincerum incorruptumque circa religionem judicium, & plentissimum Zelum pro DEI domo, ut sperem, eximum organum fore, & salubre gregi Christi, & tibi nutritio filium, degeneri illi dissimilimum; & quia Dominus corpus illi commode valens firmumque concessit, operam copiosam & diuturnam praestitum. Utinam sicut probata nobis ejus virtus fuit, sic nostram erga ipsum benevolentiam potuisse facere testaram. De filiis tuis consilium plentissimum cognovi & expedite videtur Scholæ veltræ & Ecclesie, ut eos potius habeat in cathedris sacris Doctores, quorum perspecta sit fides, quam ut ignotis imponantur manus; ac Collegæ meo Coccio, mihique nihil minus desit, quam suprema laurea coronandi exprompta voluntas, quod pro nostra erga te, virum Dei, dilectione observantiaque merita, gratum facere cuperemus, & quia idipsum scholæ nobisq; fore honorificum. Sed obstante primum ordinis nostri Leges, quæ ad Doctoratus insignia requirunt quinquennii, ab assumptione Magisterii gradu, completionem; deinde etatem ad minus triginta annorum, idque stricte admodum; quo factum, ut à fundata inde Academia, non nisi graves ætate usque viri hic promoti inveniantur. Poterat autem per dispensationem

Ddd 3